

Urso in Sarracenos fæliciter pugnatum tradidit. Rursus & aduersus Narentanos, qui rupto fædere aliquot maritima Histriæ oppida fœda populatione vastavit, triginta navium clafse prospere dimicavit. Sed cur pro Histris sint sumpta arma, quum nondum in Venetorum fidem yenissent, auctores quos sequimur non tradunt: credibile est, secundum Histriam illos cœpisse, & Venetos fines infestare. Cum Petro Gradensi Antistite tantiisper Ursus simultatem exercuit, quoad Dominicum Caloprinum, qui Torcellanus Antistes fuerat designatus, probasset, quum hominem alioquin sibi invisum non esset probaturus. Quieto itaque civitatis statu, quum foris quoque Republica ex sententia esset administrata, Dux auctorem se præbuit iis, qui ad Ducum ministeria erant ascripti, quique postea Excusati principum dicti sunt, ut in ea parte urbis, quod Durum dorsum ab initio dixere, domicilia sibi ædificarent: atque ita cœptus est locus inhabitari, qui antea maritimorum incursionum metu fuerat desertus. Hujus quoque Principis fœlicitate veteres discordiæ, quæ inter Venetos & Carnos, suo utrorunque in Aquilejensem Gradensemque Ecclesiam studio, ortæ fuerant, Vulperto Aquilejensi Antistite pollicente se non amplius Gradensem Ecclesiam infestaturum, omnino cessere. Ad hos successus illud accessit, quod re prospere aduersus Sarracenos gesta, Ursus a Basili Imperatoris apochrisariis *Protospatarius* est creatus. Sed ut gratitudine cum Basilio certare videretur, duodecim campanas magni ponderis illi Byzantium dono misit: atque ita evenisse ferunt, ut Græci Venetorum munere tum primum campanum æs habere cœperint. Sic omnia domi forisque Ursus consecutus, quæ ad vitæ ornamentum attinebant, anno initi principatus decimo septimo obiit.

Ursi autem morte Joannes ejus filius Rempublicam administrare cœpit. Is Badoarium fratrem ad Joannem Pontificem mittere constituit, ut Comaclii dominium illo auctore, Veneto nomini vendicaret. Ob id crediderim rem a Veneto motam, quia intra antiquæ Venetiæ fines is locus esset. Horum consilia, quum Marinus Comaclii Comes cognovisset, Venetum Romam proficiscentem in

Raven-

868

874

*Quaratione  
Durum dor-  
sum captum  
sit habitari.*

881  
*Urso succe-  
dit Joha-  
nes filius.*